

DEMOSTHÈNES ET CICERO INTER SE COMPARATI.

PA 3952

.T8

Copy 1

ORATIO

CANCELLARI PRÆMIO DONATA,

ET IN

THEATRO SHELDONIANO

HABITA

DIE JULII III. A.D. MDCCCLI

AB

HENRICO E. TWEED, B.A.

e COLL. S. TRIN.

OXONII.

VE NEUNT APUD J. VINCENT.



DEMOSTHENES ET CICERO INTER SE COMPARATI.

ORATIO

CANCELLARII PRÆMIO DONATA,

ET IN

THEATRO SHELDONIANO

HABITA

DIE JULII III. A.D. MDCCCLI

AB

HENRICO E. TWEED, B.A.

e COLL. S. TRIN.



OXONII.

VE NEUNT APUD J. VINCENT.

[ 1851 ]

PA 3952  
T8

LC Control Number



2003 354758

## SYNOPSIS.

I. PROPOSITIO. (§ 1, 2.) De re propositâ cur pars tantum, (§ 3) et quæ pars, (§ 4) et quo ordine, tractanda sit.

II. DE REBUS EXTERNIS. (§ 1.) Quæ sint externæ habendæ. (§ 2) De *temporibus*, quæ etsi non pariter nota (§ 3) communia quædam habuere mala (§ 4) quorum fructus in Oratoribus cernuntur. (§ 5.) De *fortunis*; quæ negligenda, et (§ 6) quæ notanda sint. (§ 7.) De *institutione*: uter doctior fuerit, et unde: et (§ 8) quæ propria cuique doctrinæ laus.

III. DE NATURÆ VI, IN MORIBUS CONSPECTA. (§ 1.) Naturæ vis major quam rerum externarum; (§ 2) Origo discriminis; (§ 3) Ciceronis virtutes infirmitate voluntatis corumpuntur; (§ 4) Demosthenes parum amabilis, vi voluntatis longè superior; (§ 5) uterque parum fortis (§ 6) neuter muneribus corruptus.

IV. DE NATURÆ VI, IN INGENIIS CONSPECTA. (§ 1.) Ingenia plus ad rem nostram faciunt quam mores; (§ 2) Duplex quæstio; (§ 3) primò, in *rebus gerendis*, successûs respectu non habito, administratoris summi facultates in Demosthene omnes inveniuntur; (§ 4) Cicero pleræque desunt; (§ 5) deinde, *in dicendo*, criticis auctoribus, (§ 6) uterque præcipuus; Demosthenes gravior, Cicero facilior; (§ 7) unde etiam peccata oriuntur; (§ 8) virtutes in dicendo non exemplis probandæ.

V. CONCLUSIO. Quæ supra dicta sunt, ipsorum iudiciis confirmantur.



DEMOSTHENES ET CICERO  
INTER SE COMPARATI.

—“ Sapere et fari possit quæ sentiat. ”—

I. § 1. QUICUNQUE in hoc genere scribendi minime ambitioso, opus per se nullius iudicio non maximum aggreditur, duarum rerum videtur periculum facere ; primùm, ne pauca tantum ex iis attingens, quæ jure dici potuissent, titulo operis parum respondeat ; deinde ne, dum studium in omni pariter propositi parte impendit, “ spatiis inclusus iniquis,” nulli possit satisfacere. Et quum sit hujus audentior conatus, illius securior eventus ; quum aut omittenda sint multa, aut male tractanda omnia ; freta quædam tanti æquoris contractis velis legenda nobis destinavimus ; ne<sup>a</sup> scriptoris illius Cyclici freti audaciâ, altioraque affectantes, in medio tantarum rerum Oceano Icarî ritu obruamur.

I. § 2. Nam certè si de altero tantùm sive Cicerone sive Demosthene simpliciter ferenda esset sententia, Qualis Orator fuerit ; satis amplam haberet, qui id condignè effecerit, tam subtilis ingenii quam laboris impensi provinciam.—Nam vel legere tot talesque orationes, quales uterque ex iis posteritati mandavit, esset certè aliquid ; ità verò legere, ut iudicium ferre possis, longè majus est et difficilius ; non enim temerè ad eos accedendum est, quorum nihil ferè nisi in pejus

<sup>a</sup> Hor. Art. Poët: 165.

mutari, nihil sine damno deperdi potest ; quibus omnis ferè antiquitas, huic Græcè, illi Latinè dicendi scribendique palmam detulit ; quos semper bonarum literarum studiosis tanquam summa exemplaria proposuit

<sup>b</sup> “Nocturnâ versanda manu, versanda diurnâ.”

Ille verò labor, quem in uno quam foret arduus satis perspicimus, hìc non solum duobus propositis reduplicatur, verùm etiam in duorum comparatione provinciam non tam ampliorem quam omninò novam alienamque ingreditur. Longe enim distant inter se, quæ Græci vocant, τὸ κρίνειν καὶ τὸ συγκρίνειν. Nam vel nanus aut moduli bipedalis homo, Atlanta suspiciens, magnitudinem ejus procul mirari et quodammodo describere forsitan posset ; ut verò Gigantem cum Gigante conferas, idem fastigium tibi priùs quærendum est ; quod in hâc re nostrâ quam prorsus desperandum sit, nemo non videt. Latet nimirum sub ipsâ comparandi notione species quædam æmulationis, stultissimæ profectò si vera esset, et cujus νέμεσις ab iis, qui de Cicerone et Demosthene agunt, magnoperè deprecanda videtur. Quarè meritò doctissima illa, si Dīs placet, fœmina<sup>c</sup> poetæ bilem movet, quæ non modo

“Laudat Virgilium”—verum etiam

“Committit vates, et comparat ; inde Maronem

“Atque aliâ ex parte in trutinâ suspendit Homerum.”

I. § 3. Sed pluribus fortasse vix opus erit, quibus rei propositæ difficultas demonstratur ; et quærendum minùs videtur, “cur intactum aliquid relinquamus ?” quam “ex tantâ materiæ copiâ quid potius eligendum sit ?” Quod ne temerè facere videamur, breviter ex ipso operis genere reddenda est ratio.—Nam quum ea sit rerum comparandarum vis atque conditio, ut diversa in similibus, aut similia in diversis de-

<sup>b</sup> Hor: Art. Poet. 268.

<sup>c</sup> Juv. Sat. VI. 435.



prehendantur; parùm ad rem nostram faciunt, quæcunque aut omnino alteri deesse aut utrique pariter contingere visa erunt. Quare etiam vel minimè nobis recensenda sunt, quæcunque alter ab altero traxerit: unâ enim operâ pariter divites essent habendi, qui ære alieno et qui suo utuntur. Quo ab errore eò cavendum est acriùs quo propiùs adstat periculum; <sup>d</sup> “quum prior fuerit Demosthenes, et Ciceronem magnâ ex parte qualem fuerit, effecerit;” quod quamvis invitur testatur Quintilianus, inter Criticos prono in Ciceronem favore semper conspectissimus. Habemus igitur “filum” quo “cæca” in hoc <sup>e</sup> Labyrintho “regamus vestigia;” ne “similes eorum virtutes, consilium scilicet, ordinem, dividendi, præparandi rationem,” cæteraque hujusmodi, in quibus veræ comparationi nullus est locus, simul commemorando tempus teramus; ne ineptè in Ciceronis philosophiâ immoremur, cujus apud Demosthenem nihil simile habemus; ne, si quid e diligentissimâ Græcorum et præcipuè Demosthenis imitatione lucrum fecerit Cicero, plus inde laudis sibi arroget, quam quod optimos auctores prudenter sibi proposuerit, propositos feliciter assecutus sit. Quod quanto studio fecerit, pro documento sint ea, quæ passim in Rhetoricis ejus libris <sup>f</sup> de Demosthene occurrunt; quanquam vel unum id satis est, quod jam ætate provector, nobilissimas Æschinis et Demosthenis Orationes “De Corona” ex Atticis converterit; eo, <sup>g</sup> ut ipse ait, consilio, “ut esset regula, ad quam eorum dirigerentur Orationes, qui vellent Atticè dicere.” Utut hæc erunt, nobis certè satis superque erit in iis versari, quæ etsi jure propria vocari possint, commune tamen aliquid habeant.

<sup>d</sup> Quintil. Inst. X. 1.

<sup>e</sup> Virg. Æn. VI. 30.

<sup>f</sup> e. g. Orator. c. 8 et 31.

<sup>g</sup> Opt. Gen. Orat. c. 5 et 7.

I. § 4. Et quum de ipsis Oratoribus, non de Orationibus aut de Arte Rhetoricâ sermo sit; non tam opera scrutanda sunt, quam ipsi ex operibus cognoscendi. Ea igitur de *moribus Oratoris* disquisitio, quæ ab Aristotelis<sup>h</sup> Rhetoricâ jure optimo exsulat, quæque a re<sup>i</sup> Quintiliani quodammodo absona videri potest, in hujusmodi quæstionibus vel præcipuè elaboranda est. Sed quum *rebus externis* nemo non multa debeat, Oratores plura fortasse quam cæteri homines,<sup>k</sup> hi certè plurimum: de harum vi in utroque conformando pauca prius disseremus. Tum demum propriam in utroque *Naturæ vim* tam in *morum indole* quam in *facultatibus ingenii* conspiciendam ita exponere conabimur, ut simul pateat, Quales fuerint, et Quid effecerint; ut quæ privatam utriusque vitam præcipuè ornaverint aut dedecoraverint—quæ præcipuè in usum damnumve Reipublicæ contulerint—quæ summo oratore digna aut indigna dixerint, tanquam effectus ad causas penitus in ipsorum naturâ latentes referantur. Quæ quidem omnia etsi pauca et sint et videantur, si quis infinitam materiæ copiam et propositi magnitudinem secum reputabit, per se tamen satis rationem reddent, cur aliquis, qui ne his quidem promissis satisfacere videbitur, Phaethontis<sup>l</sup> extincti titulum sibi arroget:

\* “Si non tetigit, magnis tamen excidit ausis.”

II. § 1. Jam “*Quales fuerint Demosthenes et Cicero,*” ex instituto in duas se partes scindit quæstio: quarum ea prior sit, “quam quasi formam a *rebus externis* impressam sumpserint?” In externarum autem rerum numero sunt tam publicus *Civitatis* status, quam privata *vitæ conditio* et propria cujusque *fortuna* atque *institutio*.—Ne quid igitur

<sup>h</sup> Arist. Rhet: I. 2, § 3.

<sup>i</sup> Quintil. Inst XII. 1.

<sup>k</sup> cf. Tacit de Orat. Dial. 37.

<sup>l</sup> Ovid. Metam. II. 327.

taciti prætereamus, unde derivatus fluxerit sive morum habitus sive ingenii color, idem in disserendo ordo servabitur, qui hîc in partitione indicatur.

II. § 2. In Civili autem rerum statu, temporibusque in quibus uterque versatus fuerit conferendis, jam inde a principio inhæret, nullo quidem modo summovenda, at breviter forsân notanda difficultas. Nam, ut rem apertè fateamur, Ciceronis tempora probè novimus, Demosthenis ferè ignoramus; in apertâ luce est Cicero; nocturnis penè tenebris obruitur Demosthenes. Ut enim cæteros utriusque sæculi historiarum scriptores prætermittamus—quum tamen et plures, et meliores, et temporibus propiores fortuna Ciceroni assignaverit—plura de Ciceronis temporibus ex ipsius Epistolis colligenda sunt, quam ex omnibus quotquot sunt aliis, præter ipsum Demosthenem, qui de Demosthenis ætate scripserint. At in illo foro, ubi duo ita decertabunt, ut quod alter de seipso libenter proferet, pro fidissimo testimonio habendum sit—alterius autem vita omnis intimæque etiam animi cogitationes cum dictis possint unâ perpendi,—quam tandem litis dignè adjudicandæ spem sanis iudicibus relinqui existimamus?

II. § 3. Quorum vero sæculorum species pari successu ad unguem effictas frustra desideres, lineamenta quædam utriusque communia licebit recognoscere. Nam Ciceroni pariter ac Demostheni contigit inter cives versari, eo præsentibus vitis conspectiores, quòd a tantis proavorum virtutibus declinavissent; videre priscum patriæ regimen vetustate dilapsum, injuriâ eversum, formulas Reipublicæ exoletas violentiæ intemperatæ cedentes, totumque antiquæ reverentiæ pulverem novarum rerum turbine et procellâ excussum dissipatumque; nec firmum aliquid mansurumve in Civitate usquam con-

spicere. Utrique contigit, ingruentes Civitati regiæ potestatis impetus inter primos sustinuisse — suprema libertatis morientis suspiria excepisse—ultimam liberi civis vocem emisisse.

II. § 4. Nec temerè et fortuitò in eâ temporum similitudine duos tales extitisse Oratores credibile est—siquidem nonnihil veri habet, ut videtur, digna illa Tacito sententia, et Tacito,<sup>m</sup> si per Criticos liceret, ascribenda, “Eloquentiam licentiæ alumnam” declarans. Quanquam quod Idem laudet Persarum et Macedonum secura illa atque eloquentiâ carentia imperia, haud aliter (si fas dicere) videtur agere ac si corpus sensu privatum ideò beatum prædicet, quod doloris expers sit. Nam ut vitæ dolor, ita eloquentia libertatis quodammodo signum est atque conditio. Grande aliquid et sublime certè habent ipsa illorum temporum mala atque miseræ, in quibus ad Triarios redit certamen tot per annos inter hostes propugnatoresque libertatis accerimè commissum : nec clarior ferè emicat quam a tali ferri conflictu scintilla eloquentiæ. Vel si apertiùs libet causas in Temporibus, effectus in Oratoribus deprehendere ; penitus necesse est, mirè turbatum fuisse illius Reipublicæ statum, in quo Catilinæ, Clodii, Milonis similes extiterint ; mirè audiendi libidine<sup>n</sup> corruptum populum apud quem Philocratis<sup>o</sup> vicerit sententia, Æschines tantùm et tam diu valuerit. Sullâ opus fuit, per quem adeptis<sup>p</sup> equitum judiciis, et tribunicîâ potestate imminutâ, inter Patres Equitesque exarderet invidia ; invidiâ Patrum Equitumque opus fuit, ut Verres accusaretur ; actionibus in Verrem opus fuit, ut se dignam in Republicâ partem Cicero

<sup>m</sup> Cf. Tac. de Orat. c. 40, et Orell. Excurs. III.

<sup>n</sup> Dem. de Fals. Leg., 423.

<sup>o</sup> Id. 385 et passim.

<sup>p</sup> Cic. Act. in Verr., I. 15, cf. Asc. Arg. in Cæcil. Div.

susciperet. Sine diuturnis illis Spartanis, Thebanis, Olynthiacis, Socialibus bellis, tantâ mercenarii militis copiâ nunquam abundâsset Græcia ; mercenariis<sup>9</sup> remotis, cives belli munia nunquam neglexissent ; nunquam, nisi apud imbelles Græciæ populos, tuta Philippi consiliis patuisset via. Nisi prius extitisset Marius, Cæsari non ad manus fuisset factio, cujus ope se ad imperium extolleret ;—nunquam, nisi per Cæsarem, emersisset Antonius. At certè quod Archilocho<sup>r</sup> Lycambes, quod Hipponacti Bupalus præstitit, idem vel plus etiam Catilina atque Æschines, Clodius, Philocrates, Verres, ipsique præcipue Philippus atque Antonius, in æternam Demosthenis et Ciceronis famam laudemque contulerunt.

II. § 5. His de similitudine Temporum, quatenus ad rem nostram facit, jam dictis, diversa etiam nonnulla in ipsis oratoribus ad temporum diversitates referre fortasse nec difficile esset nec a re alienum, festinantibus tamen ad alteram illam propositi partem, in quâ interiores animi indoles conferendæ sunt, sicco pede prætereundum ; et vel eò magis, quod in vitâ fortunisque utriusque prius hærendum sit. Quarum quidè externas quasdam similitudinis species, pro causis certè, cur tales fuerint Demosthenes et Cicero, haudquaquam habendas, vixque etiam, quales fuerint, satis fideliter indicaturas,<sup>s</sup> Plutarchus sanè sibi habeat ; quales sunt, quod uterque in exilium pulsus sit, uterque cum summo bonorum civium consensu revocatus ; quod denique, superantibus iisdem sui patriæque inimicis, uterque mortem immeritam crudelissimamque obierit. Nobis ea tantum in hâc

<sup>9</sup> Dem. Phil., I. 47. Ol., I. 26—8, &c., &c.

<sup>r</sup> Hor. Epod., VI. 14.

<sup>s</sup> Plutarch. Vit. Dem. init. et Compar. Dem. et Cic.

etiam parte tractanda sunt, quorum fructus in ipsis operibus cernuntur ; de meris autem casibus disputantes, unâ <sup>t</sup> cum poetâ,

\* \* “ Tenui in pulvere sulcos  
Ducimus, et sterili littus versamus aratro.”

II. § 6. At certè non frustrâ fuit quod ambobus medius ferè inter optimates atque infimos contigerit status ; non eâ tantùm de causâ, quòd in iis quos <sup>u</sup> “ μέσους πολίτας” Aristoteles appellat, præcipuæ emineant civium virtutes, et summa Rerumpublicarum salus reponatur ; nam vel illud accedit, quod in hac vivendi conditione optima oratoris disciplina atque institutio reperiat ; cujus mentem neque eò usque excoli oportet, ut, quod vulgus hominum sentiant, ignoret, neque ità communes populi curas et studia suscipere atque pernoscere, ut nihil ipsa sublimius meliusve concipiat. Desunt profectò optimatibus, jam inde a fortunâ “ nil admirari” edoctis, vigor ille atque intentio animi, quibus præcipuè valent indocti illi <sup>x</sup> παρ’ ὄχλοις μουσικώτατοι λέγειν ;” desunt infimis gravitas illa et rationis excultæ vis, quas plerique in supra se positis venerantur et metuunt. Quæ nimirum ne Demostheni et Ciceroni deessent—et certè nullius judicio defuerunt—ipsa videtur Fortuna providisse. Nam ut ab æqualibus utriusque exempla ducamus, minus certè effecisset Cicero ille noster

\* “ Novus, Arpinas, ignobilis, et modo Romæ  
Municipalis eques”<sup>y</sup>

si Q. Lutatii Catuli <sup>z</sup> fortunâ potius quam suâ ab ineunte ætate usus fuisset ; nec fortasse Demosthenes, si illum in Lycurgi loco <sup>a</sup> sors posuisset, tantùm in dicendo ipsum

<sup>t</sup> Juv. Sat., VII. 48.    <sup>u</sup> Ar. Polit.    <sup>x</sup> Eurip. Hipp., 989.

<sup>y</sup> Juv. Sat. VIII. 236.

<sup>z</sup> Cic. pro Leg. Manil., 20, in Verr., I. 15, &c., &c.

<sup>a</sup> Vit. X. Orat. 841.

Lycurgum superâsset ; cum uterque ex his, summo genere natus, summisque opibus præditus, nec majoribus suis minus quam propriis virtutibus debere visus, nullam profecto causam habuerit, cur totus in Eloquentiæ studium incumberet. Nostris autem oratoribus aut hæc aut nulla ad honores patebat via. Nam certe nec Ciceronem <sup>b</sup> nec quenquam alium e Novis hominibus optimates Romani vero et gratuito favore amplexi sunt ; sed necessitate potiùs et proprio periculo coacti oblato illius auxilio uti, quem in Verrinis actionibus <sup>c</sup> accerrimum Equitum et populi contra suas partes vindicem noverant, quem unum satis validum ruentis causæ propugnatorem fore credebant. Et penitus in ipsius animo credibile est nobilem illam <sup>d</sup> M. Scauri sententiam insedissee ; “ posse virtutem sine præsidio fortunæ, quo contendisset, labore et constantiâ pervenire.” Sibi uni quoque debuit Demosthenes, quod nec matris origo <sup>e</sup> parum ingenua (si de re tali inimicis credendum est) nec patrimonium <sup>f</sup> tutorum fraude et perfidiâ interceptum, nec pertinax <sup>g</sup> Meidiæ odium, nec malignè negata in tantâ vocis corporisque infirmitate Naturæ <sup>h</sup> ipsius munera, splendori nominis sui offererint, successumve negaverint.

II. § 7. Jam verò illud, quod in summâ fortunâ præcipuè laudandum atque optandum videtur, Demostheni et Ciceroni cum nobilissimis commune fuit. Nam apud quos tandem bonarum artium mentisque liberali disciplinâ excultæ uberior conspicitur fructus ? Quanquam speciosiùs fortasse quam

<sup>b</sup> Merivale, Romans under the Empire I. 25, 74, &c.

<sup>c</sup> Cf. Asconii Præf. in Verr. I.

<sup>d</sup> Cic. pro Scauro. Fragment., I. § 4. a., cf Niebuhr. Lec. III.

<sup>e</sup> Æsch. c. Ctesiph. 78, et Fals. Leg. 38.

<sup>f</sup> Dem. c. Aphob., I. 814 et passim. <sup>g</sup> Dem. c. Meid., 539, 40, etc.

<sup>h</sup> Plutarch. Vit. Dem.

veriùs hic aliquis objiciet ; “ de eruditione Demostheni minimè cum Cicerone decertandum esse ; satis illi fore, si præcipuam in illo vim naturæ agnosceremus ; illum solis orationibus illustratum fuisse ; hunc Theologicæ, Politicæ, Ethicæ, Rhetoricæ scientiæ consultum, eundemque in omni Philosophiæ parte feliciter ausum, immensæ doctrinæ palmam sibi sine rivali vindicâsse.” Cui esti magis decorum sit ita respondere, ut pro Demosthene potiùs quam contra Ciceronem loqui videamur ; licebit fortasse vel in his operibus non minus ingenio Ciceronis quam studio et doctrinæ tribuere, et flores potius quam maturos Philosophiæ fructus agnoscere. Cujus vel unum id pro documento sit, quod “ Deum illum” ut ipse <sup>i</sup> ait “ Philosophorum Platonem” non adeo coluisse videatur, ut ad interiora ejus mysteria accederet ; nam certè abstrusiores ejus dialogos, Theætatum, Cratylum, Philebum, Parmenidem, cæterosque hujusmodi nusquam commemorat. Sed ad Orationes Ciceronis revocandus est sermo ; in quibus profectò minime infitiamur, plura quam apud Demosthenem sponte apparere, quæ doctum Oratorem et veterum imitatorum arguant ; in causâ autem afferendâ minus fortasse Ciceronianis placituri sumus. Nam Demosthenem non tam pariter doctum fuisse affirmamus, quam doctrinæ laudem pariter meruisse. Ut enim Athletis sagina tum plurimum profuisse existimatur, quum non tam corpori molem quam vires nervis addiderit ; ita Oratori ille optimè convenit status atque habitus, in quo omnis quamvis longo studio collecta sapientia ita cum ipsius ingenio aptè coaluerit, ut jure propria videri possit, nec quidquam alienum adscititiumve usquam appareat. Quæ sane laus Demostheni propior videtur ; etsi

<sup>i</sup> De Nat. Deor. 11. 12.



sentendum sit legentibus potius quam exemplis probandum, quam penitus Platonis, cujus vulgo<sup>k</sup> discipulus perhibetur, ingenium spiritum animo hauserit; quantum princeps ille et sapientissimus historicorum, cujus orationes novies fertur exscripsisse, ad conformandum ipsius animum contulerit. At certè si Deorum reverentiam, morum sanctitatem, patriæ amorem commendare, Platonis discipulum arguit, non Demostheni magis quam Ciceroni illius tituli honos denegabitur. Quanquam vel ad exempla liceret hic provocare, Quintiliano<sup>l</sup> iudice: quem scilicet “satis manifestò docet jusjurandum illud<sup>m</sup> per cæsos in Marathone et Salamine propugnatores Reipublicæ, præceptorem ejus Platonem fuisse.” Nec, si singulis potius locis quam indoli verè Thucydideæ nunquam ferè non eminenti libet confidere, is Thucydidem ignorare potuit, qui in Tertiâ Philippicâ<sup>n</sup> Belli Peloponnesiaci quasi lineamenta tam fideliter expresserit.—Cur autem nihil ab Aristotele traxerit, causam suo acumine illustravit Dionysius<sup>o</sup>, Peripateticorum impugnans audaciam, nihil ad magistrum suum non trahentium; quasi verò aut Demosthenes a Rhetoricis, aut (quod idem esset) Homerus alter a Poeticis ejus præceptis unquam emicuisset. At cur singulos illi attribuimus detrahimusve auctores, cujus omnis fere pagina exemplis repleta historiarum studiosissimum arguit? quem juris legumque peritum vel juveniles illæ contra Aphobum atque Onetora Orationes abundè testantur? cujus denique ingenium eâdem operâ supra hominis mensuram efferri necesse est, quâ doctrinæ laudes detrahentur?

II. §. 8. Sin autem, æmulatione ablatâ, sua utrique laus

<sup>k</sup> Plut. Vit. Dem. c. 5.

<sup>l</sup> Quint. Inst. xii. 10.

<sup>m</sup> Dem. de Cor. 297.

<sup>n</sup> Phil. iii. 123—4.

<sup>o</sup> Dion. Halic. ad Ammaeum. 1—3. et 12. &c.

in hâc re tribuenda est ; pulchrius sanè id fuit, quod Ciceroni contigit, solis ambitionis honestæ stimulis ad studium eloquentiæ incitari ; liberalior fortasse illius ingenii institutio

P \* \* “ sibi quod vacuas desumpsit Athenas, ”

nec quidquam neglexit, quod ab<sup>q</sup> Academiæ spatiis, Rhodiorum<sup>r</sup> atque Asianorum scholis, rhetorum officinis, innumerisque præterea præceptoribus colligi posset, unde amplior ornatiove ipsius prodiret eloquentia. Et proculdubio severior fuit atque angustior illa Demosthenis disciplina ; cujus meritò laus summa habetur, sibi semper præcipuè fuisse ; suis consiliis fortunæ imperâsse ; suâ arte Naturam vicisse ; veterum auctorum virtutes ita retulisse<sup>s</sup>, ut nullius imitator jure dici possit ; ita denique in aureo illo eloquentiæ sæculo inter optimos oratores eminuisse, ut pleraque cum illis communia proferens, in iis<sup>t</sup> tamen maximè placeat, quæ ex seipso deprompserit.

III. §. I. Ad ea jam devenimus, in quibus præcipuè laudis aut culpæ provinciam sitam esse nemo infitiabitur. Nam ut multa anni tempestatibus, multa imbribus, multa coloni curæ debent segetes, at vi insitæ seminis et terræ longè plurimum ; sic etsi in quovis homine conformando multa sint iis causis, de quibus hactenus sermo fuit, temporibus, fortunæ, institutioni referenda ; in summis certè viris ipsius Naturæ opus præcipuè intueri et mirari videmur. Quæretur igitur ex instituto, primum, qualiter moratus uterque fuerit ; deinde, quali ingenio præditus. Quibus profectò quæstionibus quantò plus ponderis vulgò tribuatur, satis demonstrant rationes illæ a causis supradictis sæpissimè petitæ,

<sup>p</sup> Hor. Ep. ii. 2. 81.

<sup>q</sup> Cic. Orator. c. 3.

<sup>r</sup> Cic. Brutus. 89. 91. <sup>s</sup> Dion. Halic. de Adm. Vi Dic. in Dem. c. 8.

<sup>t</sup> Cic. Orator. 31.

cur sive in vitiis hominum insectandis, sive in virtutibus efferendis remissiores simus; cujusmodi sunt trita ista,—  
 “Temporum<sup>u</sup> vitio nimium calumniæ<sup>x</sup> conviciisque indulsit Demosthenes;” “ut jactantior<sup>y</sup> videretur Cicero, pericula ipsius et defensionis necessitas magnâ ex parte effecerunt;” et quæ præterea longum esset perscribere; omnium fere testante consensu, ‘nasci’ potius quam ‘fieri’ non poëtas tantùm atque Oratores, verum etiam quodcunque inter homines vel gloriæ titulo vel infamiæ notâ signandum conspicitur.

III. §. 2. Jam verò quam diversâ indole fuerint, vel ea res manifestum facit, quæ præcipue conferentibus adversari solet. Nam Demosthenem pænè semper eundem invenimus, nec a moribus suis unquam recedentem; Cicero- nem verò Proteos ferè ritu varium, et qualem Horatianum illud “Nil fuit unquam Sic dispar sibi” haud malè denotat. Unde factum est, ut multò facilius sit illum pernoscere, quam hunc ex parte intelligere; sicut in pictorum etiam operibus alterius effigies crassioribus quibusdam notis lineamentisque expressa statim recognoscitur; alterius ut similitudo aliqua effingatur, plurimis minutulisque lineis diu allaborandum est.

III. §. 3. Sed verendum est, ne cui ‘Ciceronem meritis laudibus fraudare’ videamur, ‘hominem ne in civilibus quidem virtutibus Demostheni cedentem, in privatis longè superiorem, et de cujus eximiis meritis minimè difficile sit sano homini sententiam ferre.’ Quibus profecto summâ cum voluntate astipulamur; ita tamen, ut nostram etiam tueamur sententiam. Fuit certè in Cicerone, perrara quidem in illis temporibus et fortasse cum solo Catone communis, vera

<sup>u</sup> Thirlwall: Greece, vol. 6.    <sup>x</sup> Dem. Fls. Leg. 402—3. Cor. 313—4.

<sup>y</sup> Quintil. Inst. xi. 1. Niebuhr: Lect. iii, p. 28.

legum reverentia—verus Reipublicæ amor, ab aliis temerè proculcatæ atque irrisæ; quid æquum, quid honestum esset, tam in rebus gerendis quam in secretis philosophorum disputationibus quærendum esse, et credidit, et docuit, et, quod majus fuit, exemplo suo confirmavit; Deorum providentiæ<sup>z</sup> quominus crederet, non tot tantaque sæculi sui mala unquam pervicere; non denique pudor, quominus fidem illam inter incredulos palam fateretur. Nec quenquam ferè in omnibus patris, fratris, conjugis, amici et domini officiis exercitatum novimus, in quo omnes domesticæ vitæ caritates clarius emicuerint; nec Romanum a feritate illâ Romanâ magis alienum; neque Ethnicum, qui de diviniore Christianæ Religionis indole tantum retulerit, qui “<sup>a</sup> mortales inimicitias habere”—“<sup>b</sup> salutem hominibus dare”—inter officia hominum erga homines tam clarâ voce annumeraverit. “At quis tandem de tali et ne nunc quidè m satis laudato viro dubitationi relinquitur locus?”—De singulis virtutibus certè nullus; attamen totam illius hominis indolem animo complecti nostro quidem judicio difficillimum est; siquidem pro veris habenda sunt, quæ<sup>c</sup> Aristoteles ille Christianæ Philosophiæ suo acumine perspexit, non posse totum aliquid plenè intelligi, nisi prius patefactâ ratione quâ singulæ partes inter se cohæreant.—At in Cicerone, ni fallimur, Chaos quoddam virtutum habemus

\*            \*            \*<sup>d</sup> “Congestaque eodem  
Non bene junctarum discordia semina rerum;”

Sed frustrâ in eodem requiritur, qui hæc omnia in justum ordinem redigeret, tenax ille propositi animus, suis viribus

<sup>z</sup> Cic. in Catil. ii. fin. iii. init. &c. &c.      <sup>a</sup> Cic. pro Rab. Postumo. 12.

<sup>b</sup> Id. pro Marcel. fin.

<sup>c</sup> Bp. Butler, Serm. iii. §. 1.

<sup>d</sup> Ovid. Met. i. 1—8.

armisque satis instructus, et propriis semper consiliis confisus, idem certissimum indicium et pars longè maxima magnanimitatis; quam quidem haud sine causâ \* “κόσμον τῶν ἀρετῶν” ab Aristotele appellatum fuisse, nobile in ipso Cicerone exemplum prætenditur, a quo nihil sæpius cæterarum virtutum laudem usumque detraxit, quam quod hâc unâ caruerit. Etenim quid nisi mera animi infirmitas eum, quo duce opus fuit Reipublicæ, pejores semper sequi coëgit, et secundas in omni ferè vitæ actu ferre—nunc Equitum, nunc Senatûs favore inniti—nunc Pompeio se adungere, nunc se Cæsaris <sup>f</sup> patrocínio tueri—nunc ejusdem interfectoribus laudatorem<sup>g</sup> potius quam facinoris auctorem fieri?—nonne aliquid a benevolentix laude detrahit profusa toties in parum dignos amicitia?—nonne patriæ amorem quodammodo inficit temerè et contra <sup>h</sup> ipsius judicium susceptum partium Pompeianarum studium?—nonne ipsam denique justitiam aliquando utilitati privatisque necessitatibus posthabitam<sup>o</sup>, et frustra certè dilectam arguunt tot pessimorum civium defensiones optimatum i jussu susceptæ?—Hinc nimirum, ne longum faciamus, omnes ferè vitæ Ciceronis errores derivantur—huc calamitatum etiam pars magna referenda est; hoc unum in causâ est, cur patriæ parum profuerit mite illud ingenium, sinistrâ sorte in illis temporibus natum, et quale in Crispo suo<sup>k</sup> Juvenalis egregiè depinxit;

“ Quis comes utilior, si cæde et peste sub illâ  
 Sævitiâ damnare, et honestum afferre liceret  
 Consilium? \* \* \* \*  
 Ille igitur nunquam direxit brachia contra

<sup>e</sup> Arist. Eth. Nicom. IV.      <sup>f</sup> Cic. ad Att. XI. 5, 8, etc.

<sup>g</sup> Philip. II. 12, &c.

<sup>h</sup> Cic. ad Att. VII. 6, cf. Merivale, Romans &c., 95—100.

<sup>i</sup> Cic. ad Div. I, 9, § 19.

<sup>k</sup> Sat. IV. 82—90.

Torrentem ; nec civis erat, qui libera posset  
Verba proferre animi, vitamque impendere vero."

III. § 4. Sed, ne quæ postea dicenda essent, temerè hic præripiamus, ad Demosthenem statim devertendum est. Cujus quidem mores, si singulas tantum partes respiciemus, communia quædam cum Cicerone habuisse fortasse videbuntur ; sin autem propria totius indolis vis perpendenda est, nihil magis metuendum erit, quam ne<sup>1</sup> "pugnantia secum frontibus adversis componere" videamur. Nam vel ejusmodi hic apparet discrimen, quale apud Homerum inter<sup>m</sup> Troas et Graios ad pugnam proficiscentes cernitur ; in illo enim dissona quædam turba virtutum, in hoc agmen ordine instructum conspicitur ; illïc pro se quæque rem fortitèr gerit ; hïc communi ducis imperio omnes obsequuntur. Longè enim cæteras imperandi artes exsuperat simplicitas illa ingenii cum gravitate conjuncta, quæ, etsi cum summis omnium sæculorum viris communis, in Demosthene proculdubio præcipua fuit ; quæ unicuq; sibi in rebus agendis finem proponens, eundemque propriis consiliis constantèr exsequens, de præteritis desiderio indulgere, de præsentibus dubitare, de futuro desperare pariter vetat ; quæ rumores hominum post se trahere potiùs quam sequi solet, et Fortunæ imperare sæpiùs quam servire.—Possunt fortasse ab hujusmodi naturis abesse virtutes ; innatæ autem in iisdem nullo modo latere possunt ; unde fit, ut Demosthenes ille noster admirationem vel ab invitis extorqueat ; quanquam sunt, quorum amorem sibi minimè conciliet ; quibus nos etiam, et præsertim cum Ciceronem, quo nemo unquam amabilior fuit, simul intuemur, gravitèr succensere non possumus.—Nam in severâ illius et gravissimâ indole, hujus

<sup>1</sup> Hor. Sat.

<sup>m</sup> Hom. Il. iii. 1—9.

benevolentiam, et quod Græci *φιλανθρωπίαν* vocant, planè desideramus; neque immeritò dolemus, in tanto patriæ amore spatium cæteris vitæ caritatibus malignè concessum fuisse.—Enimverò cui non alienissima a Demosthene, cujus omnes fere orationes in accusando versantur, præclara illa<sup>n</sup> sui laudatio jure videretur; “se ita in judiciis tot per annos versatum fuisse, ut defendisset multos, læsisset neminem”<sup>o</sup>? aut qui tandem Æschinem alterum tulissent judices, si Cicero-nem contendisset<sup>o</sup> immaturam filiæ mortem parùm deplorâsse, aut<sup>p</sup> jura hospitii et grati animi officia minùs respexisse; si eundem ut<sup>q</sup> morosum, et<sup>r</sup> vix tolerandum iter facientibus comitem, et vel in primâ juventute<sup>s</sup> ob malignitatem ingenii inter æquales infamem, lacesisset?<sup>t</sup>—Quæ de ipso Demosthene ne omnino ficta credamus, Æschinis fortasse auctoritas nunquam pervincet; sed ipsa hominis astutia satis pro seipso spondet, speciem saltem veri in ipsis mendaciis servatam iri; nec perquam credibile est, vel remoto<sup>t</sup> Plutarcho et cæteris quotquot sunt testibus, benevolentiam in illo conspicuam fuisse, de quo, coram civibus suis ipsius indolem jamdiu perspectam habentibus, inimici talia fingere ausi sint.

III. § 5. Hactenus igitur mores Demosthenis et Ciceronis toto, ut aiunt, cælo distantes perspeximus. Sed quanquam parvi refert, in tantâ de rebus maximis discrepantiâ, speciem similitudinis in minutis quibusdam partibus aucupari; de timore, qui vulgò utrique objicitur, omnino silere non possumus; præsertim cum fortitudo apud Ethnicos principem inter virtutes locum ferè semper obtinuerit, timiditas præ cæteris vitiis turpis atque infamis habita sit. Cujus exempla in

<sup>n</sup> Cic. in Cæcil. Div: 1.    <sup>o</sup> Æsch. Ctes. 65.    <sup>p</sup> Id. 61.

<sup>q</sup> Æsch. Fals. Leg. 31.    <sup>r</sup> Dem. Phil. II. 73.

<sup>s</sup> Æsch. Fals. Leg: 41.    <sup>t</sup> Plut. Vit. Dem. c. 4.

Oratoribus nostris ne quis frustrâ desideret, nonne monumenta in omnium ferè manibus apertè versantur, Orationes scilicet in Meidiam et pro Milone ?—quarum illa,<sup>u</sup> sive solutis præ metu præpotentis adversarii tabulis, sive compensatis vili quâdam pecuniæ summulâ tot injuriis (quod pro re notissimâ protulit Æschines), ad nos infecta devenit; hæc contra omnium ferè quæ extant perfectissima; quod cum,<sup>v</sup> tumultu Clodianorum et aspectu militum Pompeii constantiam oratoris et pænè vocem præpedientibus, damnatus fuisset Milo, famæ Ciceronis interfuit, novam eam et postea scriptam proferre, quæ prioris repulsæ ignominiam quodammodo aboleret.—Nec quisquam alterius laudator a judiciis ad res in bello gestas provocabit; quum certè, ne plura dicamus, neuter talis fuerit, qualem ut ait<sup>w</sup> Homerus, “*ἀντὸς σὶδῆρος ἐφέλλεται* ;” quanquam nimis fortasse contemni a quibusdam ut prorsus imbelles videntur. Nam Ciceronem novimus tironem in bello Marsico militâsse; et eidem pro consule in Ciliciâ piratas debellanti<sup>x</sup> triumphum judicio amicorum destinatum fuisse, supplicationes<sup>y</sup> etiam a senatu decretas; Demosthenem quoque ipsum tam<sup>z</sup> in classe quam<sup>a</sup> in Bello Eubœico militasse accepimus; quæ vix fortasse de tali viro commemoranda essent, nisi crambe illa Deinarchi<sup>b</sup> atque Æschinis<sup>c</sup> de fugâ ejus e prælio Chæronensi toties repetita medicaminis prægustandi necessitatem quodammodo injunxisset. Quanquam haud malè huic crimini brevis illa interrogatio<sup>d</sup> videtur respondere: “quos tandem in illâ *λιποταξία* stantes reliquerit?”

<sup>u</sup> Æsch. in Ctes. 61—84.

<sup>w</sup> Hom. Od. XVI. 294.

<sup>y</sup> Id. id. VII. 11.

<sup>z</sup> Dem. c. Meid: 558.

<sup>c</sup> Æsch. Ctes: 88, et passim.

<sup>v</sup> Aseon: in Mil: Arg. ad fin:

<sup>x</sup> Cic. ad Div: VI. 6.

<sup>z</sup> Æsch. Ctes. 61.

<sup>b</sup> Deinarch. c. Dem: § 12.

<sup>d</sup> Dict. Biogr. s. v. “Demosthenes.”



III. § 6. Sed illuc potius prævertendum est, quò pulchrior et dictu gratior similitudo nos vocat. Quid enim in tantâ temporum deformitate gratius videri potest, quam summorum virorum incorruptus et “pecuniæ”—tum præsertim “ducentis ad se cuncta”—abstinens animus?—Magnoperè nos certè delectat Ciceronis in Ciliciâ prudens illa<sup>o</sup> et sanctissima administratio, ærario Romano, ut ipse ait, quam cohorti suæ amior, et, quod in proconsule Romano pænè inauditum fuit, provincialibus etiam parcens. At Cicero, cui nemo unquam inimicorum commune id sæculi sui vitium objecit, et pariter cum Pericle<sup>f</sup> “*χρημάτων διαφανῶς ἀδωρότατος*,” breviter hic prætermitti potest; Demostheni ut defensore opus esset, sive fortunæ sive inimicorum malignitas procuravit. Nam certè nemo qui Democratix indolem vel in his nostris temporibus perspexerit, mala de summis viris semper patulis auribus haurientis—nemo qui Atheniensium ingenia ex Oratoribus, Oratores ex ipsorum orationibus didicerit cognoscere, eò magis corruptum Demosthenem judicabit, quod ita ab Æschine, Deinarcho, cæterisque hujusmodi summâ fiduciâ traditum acceperit; quos vel Minos alter, vel Rhadamanthus, qui res Atheniensium administrandas tum suscepisset, acerrimos sui accusatores “*δωροδοκίαν*” perpetuam illam et verè Atticam cantilenam in seipsum succinentes proculdubio habuisset.—Etenim apertè fatendum est, Demosthenem ipsum “*τῇ ἐπὶ λαιδορίας ἡδονῇ καὶ χάριτι*” quam<sup>g</sup> gravissimè increpat, nimium in seipso indulsisse; unde Æschinem omnis posteritas minùs verbis Demosthenis quam propriis factis consiliisque damnatum credidit.—Ad facta igitur et consilia si

<sup>o</sup> Cic. ad Att. VII. 1.

<sup>f</sup> Thuc. II, 65.

<sup>g</sup> Dem. de Cor. 273.

hîc etiam detur provocatio, quis dubitet absolutum iri Demosthenem?—Sed deest ipsis criminibus pondus; nam vix seriò illud jam proferet aliquis,<sup>h</sup> hunc potissimum dispensatorem subsidiorum a Rege Persarum in belli usum missorum constitutum fuisse. “At de acceptis<sup>i</sup> Harpali muneribus gravissima illa Areopagi sententia non sinit dubitare.”—Et nobis certè (quanquam de origine et causâ illius sententiæ libera relinquitur doctioribus<sup>k</sup> conjectura) vexatissima illa quæstio in medio relinquenda; cum minimè nostrum sit “tantas componere lites” etiam nunc in Criticorum foro pendentes. Magis profecto hîc decet, quod<sup>l</sup> Pausaniæ testimonium, de nomine Demosthenis post mortem Harpali inter stipendiarios ejus non reperto, a credulitate vindicat, ut T. Livii<sup>m</sup> verbis A. Postumium defendentis in hac nostrâ causâ utamur: “Nec libet credere; et licet in variis opinionibus.”

IV. § 1. Inviti jam ad eam operis partem accedimus, quæ proximè ex instituto sequitur: cujus tamen tractandæ necessitatem eadem causa injungit, quæ voluntatem et spem successûs adimit. Nam de Ingeniis Demosthenis et Ciceronis quam difficile sit, in his præsertim spatiis, novum aliquid aut condignum proferre, vel primo aspectu satis patet; at nemo non simul videt, eadem operâ<sup>n</sup> “τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξαραιρῆσθαι” (ut ait Rex Gelo apud Herodotum) quâ quæstio illa hîc omninò prætermittetur, quæ quasi cardo totius comparationis videri potest, unde cæteræ propositi partes pendeant.—Etenim ut tempora, ut fortunæ, ut studia quidquam sempiternâ hominum memoriâ dignum efficerent,

<sup>h</sup> Æsch. Ctes. 88, etc.      <sup>i</sup> Deinarch: c. Dem. 90, et passim.

<sup>k</sup> cf. Thirlw. Greece, VII.      <sup>l</sup> Paus. II. 33.

<sup>m</sup> Liv. IV. 29.

<sup>n</sup> Hdt. VII. 163.

prorsus necesse est, præcipuum aliquid in ipsis fuisse ; nec in ipsis modo, quod cum morum indole commune est, sed in facultatibus mentis et vi ingenii.—Non enim ultrâ debitos fines proferenda est vel earum virtutum provincia, quas hactenus Demostheni et Ciceroni tribuimus ; quibus proprium est potius amorem a suis, aut reverentiam a civibus inter quos aliquis versatus fuerit, quam gloriam apud posteros mereri ; quum salvâ virtutis majestate liceat iis animi dotibus plus ponderis tribuere, quæ per se solæ efficiunt ne cætera omnis vel in optimè moratis laus simul cum vitâ ipsorum terminetur ; ne fortes, acres, magnanimi, benevoli, amicorum aut patriæ propugnatores et quotquot præterea egregiâ morum indole inter homines illustrantur ° “ celatâ virtute,” ut eximia poetæ verba mutuemur, “ omnes illachrymabiles ignotique “ longâ oblivionis nocte urgeantur.”

IV. § 2. Hanc igitur “ formam mentis,” ut<sup>p</sup> Tacitus ait “ æternam,” nobis in operibus Ciceronis et Demosthenis propositam habentes, ad duplicem ejusdem exprimendæ rationem deferimur.—Namque alia certè est consilii laus, alia facundiæ ; quæ quidè, etsi neutra a summo oratore abesse possit, in judicio ferendo secerni certè et possunt et debent ; et vulgò, re ipsâ cogente, vel ab inscientibus seceruntur ; siquidem nostri oratores ex solâ orationum materiâ prudentes in Republicâ administrandâ judicantur ; disertum autem a modo dicendi paritèr in quâlibet materiâ conspecto appellantur. Nostrum erit igitur in utrâque provinciâ insito mentis acumini locum suum tribuere ; et primùm tanquam de administratoribus Reipublicæ loquentes, res gestas et consilia amborum excutere ; deinde tanquam ad disertos atque Eloquentiam professos converso sermone, ab utriusque

° Hor Carm. IV. 9, 25—50.

<sup>p</sup> Tac. Agric. Vit. 46.

operibus promptissima quæque ad laudem culpamve seu benè seu mali dicendi exempla decerpere.

IV. § 3. Jam verò publicam utriusque vitam intuentes quam minimè in meritis perpendendis successûs et fortunæ testimonio nunquam non fallacissimo inniti oportebit; nam certè ad res civiles non minùs quam bellicas pertinent ejusmodi voces, quæ summum bellatorem Æneam apud Virgilium non dedecorant;

¶ “ Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem;  
Fortunam ex aliis;”

quum non ideo imperitus sit belli dux, quod repulsam aliquando tulerit; nec togatus Reipublicæ propugnator, quod patriam non servaverit. Id potiùs æquum et conditionis humanæ memorem judicem oportebit in Demosthene et Cicerone requirere; ut videantur temporum suorum atque hominum inter quos versati sunt, ingenia atque indolem intellexisse; malorum causas sagaci animo deprehendisse, atque etiam pro virili remedia attulisse; in consueto rerum ordine nulla non sibi adhibuisse subsidia, quæ sive præteriti temporis experientia sive dubia futuri indicia possent conferre; nec tamen subitis atque improvisis casibus latus apertum opposuisse. At non diu hærebit, ni fallimur, judex ullus his usus indiciiis, quin Ciceronem longo intervallo a Demosthene proximum pronunciet. Nam primò sanum Demosthenis de temporibus suis judicium vel illa de Symmoriis<sup>†</sup> Oratio (ne notiora proferamus) satis demonstrat, in quâ belli contra Persas suscipiendi consilium specie differre, reverà improbare videtur; quod contrà Isocrates<sup>‡</sup>—ab annis plusquam nonaginta tantùm nil sapere edoctus—vehementissimè paullò antea pro-

¶ Virg. Æn. XII. 425.

† Dem. de Symm: 188, &c.

‡ Isocrat. de Pac: passim.

baverat. Et certè quam probè hominum ingenia intellexerit, vix ulla ex Orationibus ejus sinit dubitare; nam quis unquam<sup>t</sup> “molles aditus et tempora” Atheniensis populi meliùs noverat?—quorum nimiam<sup>u</sup> audiendi et loquendi<sup>x</sup> libidinem,<sup>y</sup> desidiam,<sup>z</sup> moras, et tot prætereà vitia atque errores fideliter et summâ cum libertate semper insectans, idem tamen ita convicia Athenarum<sup>a</sup> aut majorum<sup>b</sup> suorum laudibus temperat, atque ita vel in summo metu spem<sup>c</sup> salutis ostendit, ut nec sibi succensere, nec de Republicâ desperare cives suos patiatur. At fortasse suos novisse parum est; et major certè laus est, irrequietum illud Philippi ingenium et Græciæ formidolosum antè omnes perspexisse,<sup>d</sup> et fraudulenta ejus consilia, cæteris aut incognita aut in contemptu habita, ita retexisse, ut Philippi ipsius loquentis et de seipso omnia confitentis vocem<sup>e</sup> potiùs quam conjecturas accusatoris videamur audire. Quid igitur de causis malorum et remediis dicemus? nonne in utrisque percipiendis summa ejusdem eminet sagacitas?—qui eâdem operâ, quâ perniciosam Lep- tinis rogationem “de Immunitatibus tollendis” impugnat, novum<sup>f</sup> ipse mali remedium profert; qui contra Philippum non tam verba et minas, quam Macedoniæ<sup>g</sup> obsidionem, classes, exercitus,<sup>h</sup> sociorum fœdera semper parat; nec copias tantùm instruendas, colligendamve pecuniam suadet, verum etiam numerum militum atque armaturam, summam pecuniæ et colligendi modum præscribit; id sibi unicè per-

<sup>t</sup> Virg. Æn. IV.      <sup>u</sup> Dem. Phil. I. 54.      <sup>x</sup> Id. Cherson: 95.

<sup>y</sup> Id. Olynth: III. 37.      <sup>z</sup> Id. Pax. 57.

<sup>a</sup> Phil. II. 68, Cor. 258.      <sup>b</sup> Id. Fals. Leg. 429, Cor. 330.

<sup>c</sup> Id. Phil. III. 111.      <sup>d</sup> Dem. Phil. I. 43, &c., Chers. 105.

<sup>e</sup> Id. Fals. Leg. 445, etc.      <sup>f</sup> Id. c. Lept. 484.

<sup>g</sup> Id. Phil. I. 45.

<sup>h</sup> Id. Ol. I. 14, et III. 31.

suasum habens <sup>i</sup> :—“ τὸ ἐπιτιμᾶν ῥάδιον καὶ πάντος εἶναι τὸ δὲ ὑπερ τῶν παρόντων ὃ τι δεῖ πράττειν ἀποφαίνεσθαι, τοῦτ' εἶναι συμβούλον.” Nec in eodem difficile est simul diligentissimum experientiæ discipulum et futuri providum agnoscere ; nam nobis certè post eventum natis clarissimè apparet exemplorum vis, quæ, <sup>k</sup> Messeniis atque Argivis audientibus, frustra ab illo proferebantur, quominus promissis muneribusque Philippi jampridem in Olynthi et Thessaliæ fato fallacibus repertis crederent ; vel eorum, quæ interitum<sup>l</sup> earum urbium demonstrant, apud quas, corruptis potentiorum civium auctoritate judiciis, damnationes proditorum interceptæ essent ; et cæterorum prætereà complurium, in quibus non modo præterita fabulari videtur, verum etiam de rebus venturis

\* \* \* “Fundere fata  
Sanctius, et multo verà ratione magis, quam  
Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauruque profatur.”<sup>m</sup>

Anne igitur subitarum reum procurationi defuit ejusdem sive judicii acumen, sive agendi celeritas? at hujusmodi verba ne mussitabit quidem aliquis ; quum Antiphontis<sup>n</sup> consilia ab hoc deprehensa simul et compressa, et frustra reclamante Æschine, morte punita, Ciceronis de Catilinâ triumphum quodammodo referant ; quum, <sup>o</sup> captâ Elateâ, et percussis adeo tanquam fulminis ictu cæterorum Atheniensium mentibus, ut ne hiscendi quidem potestas cuiquam superesset, unius Demosthenis consilium in promptu fuerit, et quantum in uno homine fuit, Thebarum simul atque Athenarum saluti optimè providerit ; quum denique<sup>p</sup> Chæronensis prælii eventum hic idem propriis consiliis, propriis ministeriis laboribusque pro virili reparaverit. Nam certè quanquam Athenarum

<sup>i</sup> Id. Ol. I. 13.

<sup>k</sup> Id. Phil. II. 70—2.

<sup>l</sup> Id. Fals Leg. 435—6.

<sup>m</sup> Lucret. I. 740.

<sup>n</sup> Dem. de Cor. 271.

<sup>o</sup> Id. id. 285—8.

<sup>p</sup> Id. id. 309.

fatis nulla usquam vis fuerit quæ diutiùs obsisteret, hic unus Trojæ suæ Hector fuit; huic “quidquid cessatum est” in illo certamine summâ confidentiâ tribuendum est: et proculdubio

¶ “si Pergama dextrâ  
Defendi possent, etiam hâc defensa fuissent.”

IV. §. 4. At de Cicerone talia prædicare nemo fortasse audebit; nec in publicâ illius vitâ tamdiu immorari necesse erit, quem, plerumque *δευτεραγωνίστην* aut<sup>r</sup> *τριταγωνίστην* in Civilibus rebus agendis, in unâ tantum scenâ primarias partes egisse novimus. ‘At ab hâc unâ<sup>s</sup> Patris Patriæ et Romuli alterius titulum meruit.’ Neque immerito quidem Catiliniaræ conjurationis summâ prudentiâ et non mediocri audaciâ oppressæ laus semper maxima fuit; nec quidquam fortasse e singulis Demosthenis rebus gestis tantum patriæ suæ profuit; unde minus molestè ferre possumus<sup>t</sup> “*ληκύθους* istas de flammâ, de ferro” in Orationibus Catiliniariis passim conspectas: amplificationem aliquam in tantâ magnitudine periculi excusantes. At quod idem paullò post, decreto, ut videtur, parum<sup>u</sup> legitimo cesserit; quod<sup>x</sup> post reditum aliquando se “a curiâ atque ab omni Reipublicæ parte subtraxerit;” quod in gravissimis Civitatis motibus<sup>y</sup> “quieverit;” quod post reditum Cæsaris<sup>z</sup> “in studiis suis non delectationem modò verùm etiam salutem quæsiverit;” sapientè fortasse fecit, ut qui sui mensuram jam ex vitâ priori meliùs cognovisset; at longè a Demosthenis laude abfuit,

¶ Virg. *Æn.* ii. 298. cf. xi. 288.

<sup>r</sup> cf. Dem. de Cor. 270.

\* Juv. viii. 244. Cic. Cat. iii. 6. etc.

<sup>t</sup> Cic. ad Att. i. 14.

<sup>u</sup> Cic. pro. Domo. 19.

<sup>x</sup> Id. ad Quint. Fr. ii. 6.

<sup>y</sup> Id. id. iii. 9.

<sup>z</sup> Id. ad Div. ix. 2.

quæ quanquam a seipso profecta, certè justissima est et principi viro dignissima; “<sup>a</sup> se nullo unquam periculo, nullis necessitatibus impulsus fuisse ut Rempublicam desereret.” Etenim in benefactis Ciceronis erga Rempublicam unicum aliquid consilium frustrà desideramus. Nam Cicerone dignum fuisset providere, ne pessima illa provinciarum administratio, quæ tunc in consuetudinem venerat, in Imperii Romani perniciem redundaret; et ita providisse Verris accusatorem credibile esset, nisi M. Fonteii contra justissimas Galliarum querelas<sup>b</sup> defensio proximo anno suscepta prudentiæ simul et constantiæ laudem ab eodem detraxisset. Providisse Belli Civilis eventum oportuit eum qui Pompeii<sup>c</sup> trepidationem, Cæsaris diligentiam vigilantiamque<sup>d</sup> ab initio perspexerit; quem tamen post accisas ipsius Pompeii res Hispaniæ<sup>e</sup> atque Africæ confidisse novimus. Perspexisse oportuit virum in tantis illius sæculi malis tamdiu exercitatum, quam penitùs nisi sub unius hominis imperio desperanda esset concordia; at Ciceronem in morte Cæsaris immodicè lætatum fuisse ex ipso<sup>f</sup> accepimus, et “vindices libertatis, conservatores Reipublicæ” ejusdem interfectores appellâsse, quem paullò antea, et id quidem verissimè,<sup>g</sup> “patriæ parum vixisse” prædicaverat. Is postremò fuit in rebus gerendis Cicero, ut oblatas ultro sive Reipublicæ juvandæ sive conservandæ occasiones nemo unquam magis feliciter arripuerit, nemo naturas hominum acutiùs veriùsve perspexerit: at solis præsentis horæ occasionibus accommodatus—ab anteacti temporis experienciâ nil præter inane desiderium trahens—de futuro nec benè sperans unquam nec fortiter consulens—

<sup>a</sup> Dsm. de Cor. 294. 325. &c.

<sup>b</sup> Cic. pro. Fonteio. 16. &c.

Id. ad. Att. vii. 10.

<sup>d</sup> Id. id. viii. 13.

<sup>e</sup> Id. id. xi. 10.

<sup>f</sup> Cic. Phil. ii. 11—3.

<sup>g</sup> Id. pro Marc. 8.



dum nimiâ curâ erroris speciem in omni parte perspectam refugiebat,

<sup>h</sup> “ Avius a verâ vitæ regione recessit.”

IV. §. 5. De meris jam dicendi virtutibus quæ hîc ex instituto sequitur quæstio, opus per se propè infinitum potest sufficere; at quoniam in his præcipuè Critici veteres se exercuerunt, audentioribus libenter mandamus, ut in sylvam talem ligna sua conferant; satis pro re tenui effectum iri existimantes, si pauca quædam e tantis illorum copiis ad usum nostrum converterimus. Nam quis Dionysii de Demosthene iudicium emendare, aut Quintiliani auctoritatem de Cicerone suo loquentis temerè elevare audebit? Qui certè in nostris orationibus cognoscendis tantum e propinquitate temporum et linguæ similitudine et diuturno studio profecerunt, quantum vix aliquis summo studio jam assequetur; ut videantur eodem modo a nobis invocandi, quo Musæ apud Homerum;

<sup>i</sup> “ ἡμεῖς μὲν . . . . . πάρεστε δὲ, ἵστε δὲ πάντα”  
ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούμεν, οὐδέ τι ἴδμεν.”

IV. §. 6. Et proculdubio summâ auctoritate opus fuit quâ hujusmodi laudes commendarentur; qualis ea est de Demosthene <sup>k</sup>; “ Δημοσθένης ὁ πάντας ὑπερβαλλόμενος τοὺς τε πρὸ αὐτοῦ καὶ τοὺς καθ’ ἑαυτὸν, καὶ μηδε τοῖς γενησομένοις ὑπερβολὴν καταλιπὼν.” vel ea de Cicerone nihil humiliius sonans <sup>l</sup>; “ Cicero, sorte quâdam divinitus natus, in quo omnes vires suas Eloquentia experiretur.”—et “ is se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit”—vel ea <sup>m</sup> Livii de

<sup>h</sup> Lucret. B. I.

<sup>i</sup> Hom. Il. B. ii.

<sup>k</sup> Dion. Halic. de Dem. et Arist. 2.

<sup>l</sup> Quint. Inst. x. I.

<sup>m</sup> Id. id.

utroque sententia: “legendos primùm Demosthenem et Ciceronem; tum ut quisque erit eorum simillimus.” At fortasse in meris laudibus frustrà immoramur; quanquam per eosdem liceret varias variorum auctorum virtutes in his recognoscere; conjunctas scilicet in uno Demosthene<sup>n</sup> Thucydidis, Isocratis, Platonis laudes<sup>o</sup>; Ciceroni etiam ‘vim Demosthenis’ adjec-tam. At quum discrimen certè magis quam cumulus virtutum requiratur; id communi ferè omnium consensu comprobatum habemus; Demosthenem, præcipuas virtutes in gravitate positas habentem, in nimiâ gravitate peccavisse maximè; contra autem, Ciceronem, felicissimâ facilitate ante omnes conspectum, ad levitatis vitia propiùs accessisse.

IV. §. 7. Nec sine causâ profecto Demostheni objicit Longinus<sup>p</sup> “τὸ πάντα ἐξῆς καὶ μονοτόνως λέγειν” quanquam τόνος ille talis sit qualem inter alios ne casu quodam audiamus. At certè (ut longè pulcherrimum ejus opus proferamus) in illa de Coronâ Oratione leniora quædam et suaviora aliquando desiderare videmur, quæ quasi oppletas tonitru verborum aures, atque oculos animi perpetuo illo splendore præstrictos reficiant. At parum nos reficiunt post nobiles illos de<sup>q</sup> Locris Amphissensibus, de<sup>r</sup> Elateâ captâ, de<sup>s</sup> prælio Chæronensi, et<sup>l</sup> de cæsis in Marathone propugnatoribus Reipublicæ, ejusdem frigidæ illæ atque insulsæ facetiæ quæ non tam<sup>u</sup> Æschinem ridiculum faciunt quam seipsum, atque invitam Minervam ultro testantur. At contra, ne toties decantata illa<sup>x</sup> de ‘jure Verrino’ et de ‘tribus de Jocis Ciceronis libris’ proferamus; satis in Cicerone unde

<sup>n</sup> Dion. Hal: de Adm. Vi. dic. Dem. 8.

<sup>o</sup> cf. Cic. Orator. 31. Quint. vi. 3. &c.

<sup>p</sup> Longin. 34.

<sup>q</sup> Cor. 274.

<sup>r</sup> 284.

<sup>s</sup> 293.

<sup>l</sup> 224.

<sup>u</sup> 314—5.

<sup>x</sup> Quint. vi. 3.

insitam animi levitatem incusemus suppeditant ea, quæ pro Murenâ loquens, in jurisconsultos et Stoicæ philosophiæ professos intempestivè jocosus est; vel quod ejusmodi testatur ingenii vitium, spatium in Libris ejus de Oratore<sup>z</sup> facetiis nimis abundè concessum. Et certè ubertatem ingenii magis quam judicii severitatem arguit ‘timor’ ille, Ovidio quam Cicerone dignior, ne<sup>a</sup> Fonteio damnato, ‘ignis æternus Fonteicæ Vestalis lachrymis extinctus dicatur’—ne plura ejusmodi afferamus.

IV. § 8. Jam vero in exemplis vitiorum Demosthenis et Ciceronis brevitatis minimè mirabilis videtur; quorum virtutes qui exscribere conaretur, haberet opus haud uno volumine absolvendum. Vix igitur venia petenda erit, quòd in iis, quæ laudanti excipienda essent, potiùs quam in locis laudandis immoremur; quæ si recenserentur tantùm, nihil usûs aut ornamenti afferrent; si tota exscriberentur, neque intra modum compescenda essent, nec postremò colligenti propria viderentur. Nam quæ tandem e Catilinariis Ciceronis aut Philippicis Demosthenis Orationibus prætermitti debent? Quamquam placeret nobiles illas prosopopœias hîc proferre, in quibus<sup>b</sup> Roma cum Cicerone de pænâ Catilinæ, et tota<sup>c</sup> Græcia cum Atheniensibus de malè gesto contra Philippum bello, disceptantes inducuntur—placeret<sup>d</sup> sociorum Catilinæ et<sup>e</sup> fautorum Philippi descriptiones, et collatas ab illo Republicæ et<sup>f</sup> conjuratorum, ab hoc<sup>g</sup> Demosthenis atque Æschinis causas simul intueri. Nec difficile esset utriusque laudatoribus in humiliori dicendi genere quam latissimè spatium;—quem enim non delectat suavissima illa pro Archiâ

<sup>y</sup> Cic. p. Mur. 12.

<sup>a</sup> Cic. p. Fonteio, ad fin.

<sup>c</sup> Dem. de Cherson. 98.

<sup>e</sup> Dem. Cor. 323. <sup>f</sup> Cic. in Cat. II. 11.

<sup>z</sup> Id. de Orat. i.

<sup>b</sup> Cic. in Cat. I. 12.

<sup>d</sup> Cic. in Cat. II. 4.

<sup>g</sup> Dem. Cor. 326.

Oratio, et cujus apud Demosthenem simile aliquid frustrà requirimus ; aut benefactorum <sup>h</sup> laudationes, subtilissimæ illi contra Leptinem Orationi feliciter assutæ ? At spontè perspicuum est, nihil tali enumeratione inanius esse aut sano homini magis desperandum ; et melius fortasse erit re infectâ hîc desistere, quam plura afferre conantes, postremò tantùm minore intervallo a summâ abesse.

V. Habemus igitur, non Orationes Demosthenis et Ciceronis, nec totas ipsorum naturas in omni parte illustratas aut collatas ; quæ quidè̄m si fieri possent, a re nostrâ certè parum fuissent ;—at singula quædam in utroque lineamenta pro virili designata, unde inter se similes, aut a cæteris hominibus dissimiles præcipuè apparere possent ; unde si adumbratæ potiùs quam perfectæ exstiterint Oratorum nostrorum effigies, licebit fortasse spatiorum angustiis partem culpæ tribuere ; sin malè omninò adumbratæ, in imperitiam artificis jure optimo pondus omne criminis recidet. Quæ quidem imperitia ne hîc omnino laudi Oratorum officiat, ipsorum de se judicia, præcipuam, ni fallimur, utriusque gloriam haud infeliciter experimentia, jam in fine operis adjicientur ; nam Demosthenes nemini certè jactantior videbitur, ita de <sup>i</sup> seipso locutus : “ ὀυδαμῶς ἐγὼ προδέϊωκα τὴν εἰς Ἀθήνας ἐνόϊαν, τὸ γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἐνθυσ ὀρθὴν καὶ δικαίαν τὴν ὁδὸν τῆς πολιτείας εἰλόμην, τὰς τιμάς, τὰς δυναστείας, τὰς εὐδοξίας τὰς τῆς πατρίδος θεραπείαν, ταύτας ἄυξειν, μετὰ τούτων εἶναι. ” Neque <sup>k</sup> ea usitatam Ciceronis vaniloquentiam redolent, quæ certè Antonii criminibus optimè videntur respondisse ; “ Tantum

<sup>h</sup> Dem. c. Leept. 470—80, &c.

<sup>i</sup> Dem. de Cor. 332.

<sup>k</sup> Cic. Phil. II. 8.

dicam breviter ; . . . me *nec Reipublicæ nec amicis* unquam defuisse ; et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse *operis subsecivis*, ut meæ vigiliæ *meæque litteræ* et juventuti *utilitatis*, et *nomini Romano laudis* aliquid afferrent.”

HENRICUS E. TWEED,

e COLL. S. TRIN.

7 Dec, 1892.





## BOOKS LATELY PUBLISHED

BY J. VINCENT, OXFORD.

HINTS TO STUDENTS in reading for CLASSICAL HONOURS, in the University of Oxford. Second Edition, revised. By a CLASSIC MAN. 12mo. price 1s.

JOHANNIS GILPINI ITER, LATINE REDDITUM. "Post equitem sedet atra cura."—*Hor.* Editio Altera, foolscap 8vo. price 1s. 6d.

THE RIME OF THE NEW-MADE BACCALERE, in SEVEN Parts. Second edition, foolscap 8vo. price 1s. 6d.

VIA PER ANGLIAM FERRO STRATÆ. Editio Altera. Price 1s.

But times are altered, trade's unfeeling train  
Usurp the land, and dispossess the swain.

GOLDSMITH'S DESERTED VILLAGE

THE ART OF PLUCK. Being a Treatise after the Fashion of Aristotle; writ for the Use of Students in the Universities. To which is added, FRAGMENTS FROM THE EXAMINATION PAPERS. By SCRIBLERUS REDIVIVUS. Eighth edition, 12mo. price 2s. 6d.

POEMA CANINO-ANGLICO-LATINUM, super Adventu Recentissimi Serenissimarum Principum, non Cancellarii Præmio donatum aut donandum, nec in Theatro Sheldoniano recitatum aut recitandum. Post 8vo. price 1s.

HINTS TO FRESHMEN IN THE UNIVERSITY OF OXFORD Second edition, post 8vo. 1s. 6d.

HAMLET TRAVESTIE. A Burlesque. In Two Acts. 12mo. 1s.

NINEVEH: the Best Newdigate for Years; therefore not recited in the Theatre, Oxford, July 3, 1851. 12mo. 1s.

ADDITIONS TO THE OXFORD PRIZE POEMS; containing:

THE JUDGMENT OF BRUTUS. CROMWELL.

THE SANDWICH ISLANDS. BATTLE OF THE NILE.

Post 8vo. 2s. 6d.

THE GIPSIES: A Prize Poem, recited in the Theatre, Oxford; June 7, 1837. By ARTHUR PENRHYN STANLEY, Balliol College. Post 8vo. 1s. 6d.